DE USU
NOMINUM URBIUM INSULARUM TERRARUM
CURTIANO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA FRIBURGENSIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

JULIUS STEINHOFF

HANNOVERANUS.

FRIBURGI BRISGOVIAE

MDCCCLXXXIII.

MANIBUS PATRIS CARISSIMI

Omnium scriptorum Latinorum, qui sermonis elegantia praestant, nemo nostra aetate ab eis viris doctis, qui in syntaxi linguae Latinae illustranda operam et studium collocaverunt, perinde neglectus est atque Q. Curtius Rufus. Cuius historia etsi valde depravata ad nos pervenit, tamen hanc ob causam eam spernendam esse non facile quisquam concedat, apparetque ad pleniorem linguae Latinae scientiam non sufficere illustrissimos tantum scriptores percensuisse, sed omnes esse perscrutandos, ut quo modo illa paullatim immutata quasque vicissitudines experta sit melius in dies intellegatur. Neque vero priorum saeculorum grammatici, qui quidem magni aestimabant Curtium, ad scribendi genus eius accuratius cognoscendum multum contulisse dici possunt. Qui de ea re in universum dixisse plerumque satis habuerunt argumentis quibus iudicia sua confirmarent non additis. Sic Bernartius (cf. Freinshemii comment. editioni Snakenburgii praefixos) inter optimos scriptores locum Curtio tribuit, Scioppius ex argenteae aetatis scriptoribus eum primum esse ait, Nic. Caussinus (de adminiculis eloquentiae l. III.) contiones eius tam argutas et suaves esse adseverat, *,ut Herodoto et Xenophonti nihilo videatur inferior'*, alii uno consensu sermonem Curtianum mire candidum, tersum, purum, perquam elegantem esse iudicant, praecipue autem contiones expedita quadam facundia compositas adeo perspicuas esse, ut ab omnibus facile intellegantur. Primus J. H. Ernestius commentatione sua *,Curtii in particulis latinitas'* (Lipsiae 1719) unam partem accuratius tractavit. Paullo post Snakenburgius in indice editionis suae usum singulorum verborum secundum litterarum ordinem enumeratorum exposuit. His verum quidem est nostro quoque saeculo quaedam acces-

sisse ad syntaxin Curtianam spectantia. Th. Vogelius editioni suae ‚syntaxin Curtianam‘ praemisit, Muetzellius ‚*de translationum apud Curtium usu*‘ scripsit (Berol. 1842); E. Krahius libellum edidit qui inscribitur ‚*Curtius als Schullectuere*‘ (Insterb. 1870, 1871). De singulis quibusdam partibus usus Curtiani disseruerunt: R. Gruendlerus ‚*der Gebrauch einiger Praepositionen (propter, ob, apud, ad) bei Curtius*‘ (Tarnowitz 1874), F. Kupferus, ‚*der Gebrauch des Particip. bei Curtius*‘ (Coeslin 1877); Eichertus lexicon Curtianum curavit. At Vogelius toti quaestioni parum plene se satisfecisse ipse concessit, Eichertus vero, cum editionem Fossianam solam secutus esset, multos locos prave traditos dubiosque sub iudicium vocare omisit. Itaque permulta restant diligentius pertractanda In primis autem operae pretium esse duco de ratione quam Curtius in nominibus urbium insularum terrarum secutus sit subtilius disputare, quibus in exhibendis cum codices nostri quam maxime varient, inde non pauca menda cum nominibus ipsis tum eorum structurae adhaerentia in vulgatum verborum contextum irrepsisse existimo, eaque interdum tam gravia, ut Curtius a communi omnium dicendi consuetudine discessisse videatur. Homines vero nonnulli ceteroqui non ineruditi ita sese codicibus addixerunt, ut etiam absurdissima contra verisimillimam emendationem tuerentur ac defenderent. Quod sane eum non fugiet qui editiones veteres Curtii diligentius inspexerit. Quodsi nos noluimus tam religiosi esse quam isti qui codicum consensui nimium confisi quamlibet sermonis insolentiam Curtio iniungi posse putarent, tamen multa, quae emendare conati sumus, ambigua manere fatemur neque vere correcta posse haberi, nisi codicibus fide dignissimis denuo collatis certius emendandi negotio fundamentum paratum sit. His praemissis ad rem ipsam accedamus.

Commentationem nostram in duas partes dividemus, quarum altera Curtii in urbium insularumque nominibus, altera in terrarum nominibus usum complectatur. Atque in tractandis urbium insularumque nominibus quattuor rursus partes distinguemus; primum enim ea exempla recensebimus, ubi de

directione ad aliquem locum agitur, deinde ea, ubi aliquid in aliquo loco fieri indicatur, tum ea, ubi directio ex aliquo loco significatur, postremo de eis praepositionibus dicetur, quae cum nominibus urbium iunctae aut vicinitatem aut motum cursumque significant. In unaquaque autem parte ita disputationem instituemus, ut primum ea adferamus, quae ab aliis quoque scriptoribus usurpata sint, tum ea, quae minus usitata esse videantur, et quidem eo semper ordine servato, ut a certis ad incertiora transeamus. De nominibus insularum in eadem parte, qua nomina urbium continentur, disseremus propterea quod illa et raro in libris Curtianis adferuntur et eodem modo quo nomina urbium componuntur.

Pars I.

I. a. De nominibus urbium, in quibus de directione ad aliquem locum agitur.

Quotienscumque directio ad aliquam urbem indicatur, Curtius usui optimorum scriptorum obsequitur. Multa igitur invenimus ut apud Ciceronem eiusque aequales sic apud Curtium exempla, ubi verba ‚*ad urbem*' sive ‚*ad oppidum*' nominibus propriis adiunguntur, quibus in exemplis plerumque ea lex valet, ut appellativum ‚*urbem*' sive ‚*oppidum*' ante nomen proprium positum sit. Hunc usum Curtius tenet in verbis veniendi (III. 1. 22.), perveniendi (VII. 4. 23.), movendi (IV. 1. 6.), penetrandi (III. 7. 6.), devehendi (X. 1. 19.), mittendi (VII. 6. 24.); numquam tamen nomen urbis Babylonis sic adhibet. Est autem usus hic tam vulgatus, ut nihil amplius animadvertendum esse videatur; nonnulli tantum loci, qui aut vario modo in codicibus exhibentur aut aliquid insolens habent, digni sunt, de quibus paullo diligentius disputetur, velut III. 1. 1., ubi legitur: ‚*ad urbem Celaenas exercitum admovit*', pro quibus verbis Casaubonus ad Strab. XII. p. 865 C. (577) adfert: ‚*urbem Celaenas admovit*', sed immerito; etsi enim verbum admovendi diversas structuras admittit atque modo cum dativo casu, ut V. 1. 26: ‚*aedificia admota sunt muris*', modo cum praepositione ‚*ad*', ut VIII. 2. 22: ‚*ad petram admovit exercitum*', modo cum praepositione ‚*in*', ut VI. 9. 22: ‚*patrem in idem fastigium . . . . . admovi*' coniungitur, tamen

nusquam cum accusativo simplici copulatum est, exceptis nimirum eis nominibus urbium, quae appellativum non additum habent, ut III. 7. 8: *‚Isson deinde rex admovit copias‘*. Itaque nostro quoque loco codicum scriptura retinenda est, sed non ideo, quod in describendis itineribus, quae ad urbem aliquam aut ad eius regionem directa sint, Curtium adiicere solere *‚ad urbem‘* Muetzellius (cf. edit. eius pag. 4.) contendit; nam non minus exemplorum nobis occurrunt, ubi in similibus descriptionibus verba, quae sunt *‚ad urbem‘*, omissa, quam quibus adiuncta sunt.

Singulare mihi videtur genus illud, quo verbum *‚nomine‘* adpositum est nomini urbis in III. 7. 6: *‚ad urbem Isson nomine penetrandum erat‘*. Eodem modo personae alicui Curtius illam vocem subicit, veluti VII. 7. 1: *‚fratrem, Carthasim nomine‘*; semel loci alicuius nomini adiungit VIII. 11. 2.: *‚petram Aornin nomine‘*, ubi codices quidem *‚Aorni in‘* falso exhibent, quod non mirum est, cum littera *‚m‘* et particula *‚in‘* saepissime confundantur, qua de re infra pag. 00 disseremus. Apud Ciceronem hic usus non invenitur, sed Caesar et Velleius eum observant et Livius quoque, qui XXX. 7. 10. habet: *‚circa urbem nomine Abbam‘*.

De dubia lectione in X. 1. 19: *‚ad urbem Syriae Thapsaga(s)‘* pag. 00 uberius disputabimus.

In omnibus igitur illis verbis, ex quibus nomina propria cum appellativo *‚urbem‘* coniuncta pendent, ea ratio valet, ut vox, quae est *‚urbem‘*, semper ante nomen proprium ponatur. Duplicem tamen usum in verbo ‚perveniendi‘ invenimus. Primum enim Curtius dicit: *‚pervenire ad urbem‘* appellativo praeposito, exempli gratia VII. 10. 15: *‚ad urbem Marganiam‘*; deinde reperimus *‚pervenire ad . . . . urbem‘* appellativo postposito, in V. 1. 16: *‚ad Mennim urbem‘*, et alibi. Eodem modo VII. 9. 20. priores editiones ante Zumptium praebent: *‚ad Maracanda urbem pervenit‘*. Sed omnes codices verbum *‚pervenit‘* omittunt, pro quo libri interpolati *‚contendit‘* praebent, quod recentiores iure receperunt. — Appellativum autem *‚oppidum‘* nomini proprio semper praepositum est.

Unus tantum locus exstat, ubi praepositio *,in'* cum voce, quae est *,urbem'*, coniuncta nomini urbis addita est; quod exemplum invenimus IV. 1. 37: *,praesidio in urbem Chion introducto'*.

Nunc ad eos locos transeamus, in quibus nomina *,urbs'* vel *,oppidum'* non sunt addita. Priusquam autem hunc usum accuratius consideremus, inquirere opus est, quod discrimen intercedat inter eam structuram, qua praepositio *,ad'* omittitur, et illam, qua adponitur, ut recte perspiciatur, utrum Curtius a ceterorum usu discedat necne. Notabile sane videtur scriptores Latinos optimae aetatis motus ad urbem aliquam exprimendi causa simplicem accusativum adhibere, cum Graeci*) aut praepositiones aut suffixum ,δε' usurpent, neque minus mirabile est, quod haec ratio non in nominibus terrarum, sed urbium tantum observatur. Quam ob rem viri docti tam prioris quam nostrae aetatis causas, ex quibus hic usus ortus sit, diligenter circumspexerunt. Atque omnes fere hodie in eo consentiunt, ut censeant accusativo simplici non terminum, ad quem motus vel cursus dirigatur, significari, id quod priores statuterunt; quod si ita esset, causa non indicaretur, cur terrarum nomina aut personarum aut appellativorum non eodem modo construerentur, quoniam accusativi horum nominum in easdem litteras exeunt, cf. Fr. Haasii Vorles. ueber latein. Sprachwiss. II. 81. Praeterea illa sententia etiam hanc ob causam reicienda est, quod apud priscos scriptores plura quam apud posteriores exempla inveniuntur, ubi praepositio *,in'* addita est, quoniam, si re vera secundum linguae Latinae naturam nudo accusativo terminus exprimeretur, hic usus apud eos, qui ad primam formam linguae proxime accedunt, saepissime occurreret. Sed vetustissimi quique auctores

*) Constat satis ab Homero (cf. Il. VIII. 149: ,ἵκετο νῆας'), Pindaro, poetis tragicis apud verba eundi et veniendi nudum accusativum saepius admissum esse, ubi ,εἰς' cum accusativo exspectamus, interdum etiam orationis pedestris scriptores, ubi grammatici ,ἐν' desiderant, simplicem dativum posuisse, exempli gratia Plat. Menex. p. 245 A.: τὰ τρόπαια τά τε Μαραθῶνι καὶ Σαλαμῖνι. Thuc I. 74: ,Μαραθῶνι . . . . . προκινδυνεῦσαι. Andoc. π. τῶν μυστηρίων 111: ,'Ελευσῖνι'.

saepius posterioribus particulam ‚*in*' adiunxerunt, de qua re videas Holtzii syntax. prisc. scriptt. Latin. I. 205., qui ex Plauto, Ennio, Terentio exempla huius usus adfert. Itaque alia ratio illius accusativi explicandi nobis circumspicienda est. Iam G. J. Vossius (cf. eius Aristarchum sive de arte grammatica, lib. de constructione pag. 474. ed. sec.) in causam huius rei inquisiturus ad eam sententiam deductus est, ut praepositionem compendii aut elegantiae causa omitti solere, accusativum autem ‚*regi non a verbo, sed a praepositione intellecta*' diceret. Huic similem sententiam Reisigius, Vorles. ueber lat. Sprachwiss. ed a. Fr. Haasio, pag. 693 protulit: *Es scheint jener Unterschied der Construction aus dem kriegerischen Leben der Roemer herzuruehren, in dem man sich der Kuerze des Ausdrucks befleissigte*'. Quibus rectius Fr. Haasius ipse, Vorles. ueber lat. Sprachw. II. pagg. 80. 81. de hac re iudicare mihi videtur; censet enim Latinos, quemadmodum ‚*stadium currere*', *suppetias ire*', ‚*exequias ire*', ‚*cubitum ire*' dixissent, quo exprimerent ‚*suppetias*', ‚*exequias*' cet. causam sive rem obiectam, ut ita dicam, eundi esse, sic etiam ‚*Romam ire*' dixisse, et ita accusativo ‚*Romam*' tamquam id, quod aliquis eundo absolvat, contineri. Cuius rei causam hanc esse iudicat: ‚*Eine Stadt, sowie auch kleinere Inseln, werden aufgefasst als einzelne Punkte, die man bloss als Gegenstaende des Weges anzugeben braucht, um diesen hinlaenglich zu characterisiren; er ist durch seinen Endpunkt bestimmt, von dem ja ueberall die Richtung, wie auch die Laenge, das Mass abhaengig ist.*' Qua ex re efficitur, ut nomina terrarum aut nomina gentium pro nominibus terrarum usurpata aut nomina insularum ampliorum, quibus nudo accusativo casu positis terminus motus alicuius non satis accurate significatur, praepositionem requirere, quamquam, cum in unaquaque lingua per analogiam novae formae nascantur, nomina quarundam terrarum, praecipue earum, quarum in commemoratione de certa quadam urbe, ad quam cursus dirigitur, cogitari solet, interdum excipienda sunt. Simili modo praepositiones ‚*in*' et ‚*ad*' nominibus urbium tum adiunguntur, cum aliquem

aut *in* urbem aut *usque ad* urbem pervenisse accuratius distinguitur. Quibus praemissis ad singulos locos, qui huc pertinent, tractandos aggrediamur.

Rationi igitur grammaticae Latinae obtemperans Curtius, si in incerto relinquere vult, utrum aliquis in urbem an usque ad urbem progressus sit, et tantum dicit aliquem viam ex altero loco ad alterum ingressum esse, nudum accusativum ponere solet, nisi appellativum aliquod nominibus propriis subicitur. Itaque illum casum tum verbis redeundi (VIII 1. 19.), subeundi (X. 1. 16.)*), transeundi (IV. 5. 22.), tum verbis veniendi (X. 1. 22.), conveniendi (IV. 6. 2.), perveniendi (IV. 1. 3.), commigrandi (IV. 8. 5.), devehendi (IV. 4. 15.), perfugiendi (VI. 6. 22.), procedendi (V. 1. 17.) adnectit scriptor noster; itemque verbis ducendi (VII. 10. 10.) (sc. aliquem), deducendi (X. 1. 19.), admovendi (III. 7. 8.), de quo videas pag. 8, promovendi (IV. 1. 30.), contrahendi (IV. 9. 2.), transferendi (X. 10. 20.), dirigendi (cursum): X. 1. 17; mittendi: III. 8. 12., ubi legitur: ‚*Damascum Syriae*'; hoc loco monendum est Curtium Graecorum loquendi consuetudinem imitatum esse, eodem enim modo Diodorus (XVII. 32.) dicit: ‚εἰς Δαμασκὸν τῆς Συρίας'; de qua re cf. tamen pag. 00; qua in loquendi ratione nihil miri esset, si appellativum ‚urbem', sicut X. 1. 19., accederet. Similem usum Curtius etiam in nominibus personarum observavit, velut V. 1. 40: ‚*Amyntas Andromeni*', et fortasse in IV. 13. 28.

Paullo notabilius illud videri potest, quod X. 2. 1. legitur: ‚*Igitur XXX navibus Sunium transmittunt*', quia, id quod ex sequentibus verbis ‚*promuntorium est Atticae terrae*' efficitur, Sunium hic ut nomen urbis usurpatum est; sed considerantibus nobis ea, quae supra exposuimus, locus ille

*) Hoc quidem verbum sicut ‚*adire*' (cf. tamen IV. 5. 5., de quo disputavimus pag. 00.) numquam cum praepositione ‚*ad*' a Curtio copulatur et ne tum quidem, cum eodem sensu quo ‚accedere' positum est; in verbis enim adeundi ac subeundi significatio est principalis ‚appropinquare' ita ut praepositionem subici non necesse sit; alii quidem scriptores argenteae aetatis, ut Livius, utraque ratione adhibita et ‚*ad urbem*' et ‚*urbem subire*' dicunt.

nullam praebebit offensionem, nam ut nomine urbis, sic etiam nomine promuntorii, quod quasi punctum terrae esse apparet, itineris longitudo, directio, modus satis demonstratur. Et eo minus insolens accusativi simplicis usus mihi videtur, quod in illo promuntorio vicum eiusdem nominis positum fuisse constat, de quo Cicero ep. ad Atticum VII. 3. 10. loquitur, ubi etiam de eadem re, quam nunc tractamus, disputatur. Illa enim in epistula Cicero, cum antea ad Atticum scripsisset *‚in Piraeea‘*, eum quem Atticus ob additam praepositionem vituperaverat soloecismum, eo defendere studet, quod se non ut de oppido, sed ut de loco locutum esse dicit, qua quidem in re Terentii auctoritatem *‚in Piraeum‘* et *‚e Sunio‘* dicentis secutus sit; tum pergit: *‚Quod si* δήμους *oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium quam Piraeus. Sed, quoniam grammaticus es, si hoc mihi* ζήτημα *persolveris, magna me molestia liberaris‘*, quem locum illustravit G. J. Vossius de construct. pag. 469. sqq. Ex eis quidem, quae Cicero de hac re disputat, colligendum est ipsum ut *‚e Sunio‘* sic *‚in Sunium‘* maluisse, id quod nostrae sententiae refragatur, sed cum doctissimi quique viri illius iam aetatis de hac quaestione disputaverint, verisimile est iam tum temporis hunc usum ambiguum fuisse, quam ob rem utramque locutionem usurpare licebat.

Hic id quoque mentione dignum est IV. 9. 9. *‚iam pervenerat ad Arbela vicum nobilem sua clade facturus‘* codices praepositionem *‚ad‘*, quam editiones antiquiores subiciunt, uno consensu omittere, quos tamen sequendos esse prorsus nego. Nam, etsi nullum aliud exemplum exstat, in quo nomini urbis appellativum, quod est *‚vicus‘*, adiunctum est — videtur Curtius nostro loco ex Diodoro (XVII. 53.): ‚περὶ κώμην τὴν ὀνομαζομένην Ἄρβηλα‘ hausisse, cum alii scriptores Arbela urbem insignem nominent — tamen vulgatam lectionem hic praefero, quoniam Curtius numquam dicit: *‚urbem Maracanda‘* vel *‚oppidum Maracanda‘*, vel *‚Maracanda urbem pervenire‘*, sed omnibus locis, ubi appellativum aliquod accedit, *‚ad‘* praepositionem subicit. Qui communis etiam omnium scrip-

torum usus est, de quo cf. Handii Tursell. I. p. 81. Huc accedit, quod praepositio *,ad'* propter exitum verbi antecedentis *,pervenerat'* facile poterat omitti. Itaque non sine causa *,ad Arbela vicum'* ego quidem scripserim.

De loco VIII. 10. 19. *,ergo Acadira transit'*, ubi de nomine urbis dici plerique putant, videas infra pag. 00.

Praepositionem *,ad'* cum nominibus urbium omisso appellativo Curtius coniungere videtur, si distinctius exponere vult aliquem non in aliquam urbem, sed usque ad urbem venisse, ut nos dicimus *,bis an, bis vor'*. Cuius usus exemplum unum exstat in VIII. 10. 22, ubi legitur *,ipse ad Mazagas venit'*. Hoc loco omnes libri manuscripti praepositionem *,ad'* praebent excepto uno Palat. 1., quem *,ante Amazagas'* exhibere Snakenburgius adnotat. Verum haec lectio plane perversa est, videturque illud *,ante'* praepositionis *,ad'* explicandae causa a librario quodam suprascriptum postea in contextum verborum irrepsisse, quoniam, ut ex sequentibus verbis, quibus narratur urbem istam ab Alexandro obsessam esse, perspicitur, verba *,ad Mazagas'* ita tantum intellegi possunt *,usque ad Mazagas'*. Sed Curtius accessum ad urbem aliquam significaturus etiam verbum quod est *,urbs'* adiicit, ut IV. 5. 10. *,ad urbem Gazan venit'*, aut solum accusativum ponit, velut IV. 16. 9: *,Arbela venit'*, quo utroque loco Alexandrum non in urbem vel vicum, sed modo usque ad urbem pervenisse exponitur. Triplex hic usus etiam ab aequalibus Ciceronis observatur, de quo Handii Tursell. I. pagg. 79. 80. et Vossii de constr. p. 473. conferas. Ciceronem vero ipsum hanc inconstantiam sibi indulsisse nego, quamquam nonnulli viri docti compluribus exemplis id demonstrare conati sunt, de quo videas Ruddimanni institut. grammatic. Lat. II. p. 280. adnot. 27. Prorsus enim constat scriptores elegantiores differentiam inter *,venit Romam'* et *,ad Romam'* agnovisse ita ut, si accessum distinctius notari vellent, *,ad'* nomini urbis praefigerent. Neque vero a natura linguae abhorret praepositionem addi. Quodsi nonnulli ab hoc praecepto recesserunt, neglegentiae aut incuriae id tribuendum

est. Curtium autem regulae illi Ciceronianae se addixisse uno tantum exemplo, quod supra commemoravimus, probari potest, alio enim loco, qui IV. 1. 15: *,inde ad Sidona ventum est, urbem vetustate famaque conditorum inclitam‘* legitur, ambiguum est, utrum interpretari debeamus *,exercitum usque ad Sidona‘* an *,in urbem pervenisse‘*.

Locutionem *,usque ad‘* invenimus X. 10. 3: *,ut regionem eam usque ad Trapezunta defenderet‘*, qui locus ideo notabilis videtur, quod nomen urbis neque ex verbo ullo pendet neque substantivo, quod ingressum vel accessum ad aliquem locum exprimat, adnexum est. Similia exempla, ubi praepositio *,ad‘* absolute posita est, alibi quoque apud Curtium occurrunt, velut X. 1. 17. *,omni ad orientem maritima regione perdomita‘*; VII. 3. 7; VIII. 10. 24: *,ad occidentem‘*, ubi exspectes *,qua spectat occidentem‘* vel aliud verbum, quod directionem ad loca vel ad regiones versus significet.

I. b. de usu nominum insularum, in quibus quaeritur per ,quorsum‘.

Insularum etiam ampliorum nominum usus apud Curtium idem qui nominum urbium videtur esse; IV. 1. 27. enim legitur: *,inde in naves militibus impositis Cyprum transmisit‘*. Qui usus cum raro quidem apud bonos scriptores reperiatur, haud infrequens apud poetas est; aliquando adeo apud Sallustium, Ciceronem, Livium occurrit, veluti apud Cic. de lege Man. 12. 34: *,inde ..... Sardiniam venit‘*, ubi quidem elegantiae gratia nudus accusativus positus videtur esse, antecedunt enim verba *,Siciliam adiit, Africam exploravit‘*; de orat. III. 56. 213: *,Cretam profectus‘*. Imprimis autem insula Cyprus accusativum adsciscere videtur, cum non solum Terentius (Adelph. v. 224.) dicat: *,proficisci Cyprum‘*, ubi omnes libri manuscripti praeter unum Laurentianum (D), qui *,pficissi in cyprum‘* prave exhibet, particulam *,in‘* omittunt, et Adelph. v. 230: *,porto Cyprum‘*, sed etiam Cicero de domo sua 25. 65. habeat *,Cyprum relegatur‘*, et Livius lib. XXXXV. 11. 9:

‚Cyprum . . . . classem misit‘, eodemque libro 12. 7: *‚Cyprum navigare‘*. Lectiones horum trium locorum in omnibus codicibus eaedem sunt, sed notandum est et apud Liv. XXXXV. 11. 9. et apud Cic. l. c. litteram *‚m‘*, quam cum particula *‚in‘* saepius coaluisse constat, antecedere, illic enim *‚bellum . Cyprum‘*, hic *‚beneficium Cyprum‘* legitur; tamen non dubitamus, quin in utroque loco nudus accusativus ab ipsis scriptoribus positus sit. Nihil ambigui est in Nep. Paus. 2. 1: *‚Pausaniam cum classe Cyprum atque Hellespontum miserunt‘* et Cim. 3. 4: *‚Post, neque ita multo, Cyprum . . . . missus‘*. Etsi autem quo modo factum sit, ut eius modi nomina usui nominum urbium accommodarentur, certo explicari nequit, ita ut paene eis qui accusativum nudum pro locativo habent, adsentiendum esse videatur, tamen id quod Haasius l. c. pag. 81. de nomine Aegypti dicit, hoc quoque loco valere arbitror. Verisimile enim est Romanos in describendo itinere ut Aegypti sic Cypri quoque certum quendam portum spectare solitos esse ita ut directio itineris ex terrae nomine accurate cognosci posset. Quae sententia etiam inde commendari mihi videtur, quod, ubicumque hic usus valet, fere semper de nominibus aut insularum aut earum terrarum quae mari sunt finitimae, agitur. Fortasse etiam Romani, cum de navigatione in insulam Cyprum dicerent, antiquitus urbem vel civitatem cognominem in ea sitam spectabant ita ut insulae nomen urbis indere et sic nomine insulae pro nomine urbis uti consuescerent. Conf. Isidori orig. lib. XIV. c. 6. memoriae prodentis: *‚Cyprus insula a civitate Cypro, quae in ea est, nomen accepit‘*. Alii ab alia re insulam nomen traxisse volunt. Ex eis, quae disputavimus, illud Curtianum: *‚Cyprum transmisit‘* neutiquam in vituperationem incurrere intellegitur, neque lectionem cur pro depravata habeamus causa est, praesertim cum codices inter se consentiant. Ceterum alia exempla nominum insularum sive nudo accusativo positorum sive cum praepositione *‚in‘* coniunctorum apud Curtium non reperias. Nam quod Zumptius X. 2. 3. tradita a codicibus verba *‚quibus interceptum trucidatum a quodam auctore (pro ‚Tim-*

brone') *interemptum per insidias'* in haec mutavit *,quibus in Cretam traiectis a quodam'* cet., ea coniectura, quamquam a Diodori libr. XVII. 108. praesidium habere videri potest, tamen reiicienda est, quoniam lectio librorum multo faciliore medicina persanari potest. Scribendum nimirum est cum Vogelio *,quibus interceptum trucidatum a quodam Thi(m)brone per insidias'*.

Apparet igitur, si nominum urbium insularumque usum Curtianum, quando directio ad locum indicatur, cum usu a prosae orationis scriptoribus aetatis Ciceronianae observato comparamus, Curtium ab optimorum loquendi genere in universum non digredi, nisi quod illa verba III. 8. 12: *,Damascum Syriae'* pro *,ad Syriae urbem Damascum'* ab usitato sermone paullum abhorrere concedendum est. Sed hic locus fortasse aptius in tractandis terrarum nominibus est adferendus.

II. a. de usu nominum urbium, in quibus per ,unde' quaestio fit.

Eodem modo, quando digressus ab aliquo loco exprimitur, Curtius usitatum morem semper tenet, quod certius etiam quam id, de quo supra diximus, affirmare possumus propterea, quia omnium paene codicum consensu lectiones quae huc pertinent confirmantur. Ac duodecim exempla reperiuntur, ubi profectio ex aliquo loco designatur, quorum quinque praepositionem *,a'* adiectam habent, cum septem eadem careant. Atque primum quidem de eis disseramus, in quibus simplex ablativus casus positus est. E natura linguae fit, ut eis nominibus urbium praepositio non subiciatur, quae cum verbis cum praepositionibus *,ex'* *,de'* compositis coniungitur; itaque Curtius III. 2. 10. dicit: *,Athenis . . . . fuerat expulsus'* et IV. 3. 22: *,Syracusis id simulacrum devexerant'*. Verbo *,movendi'* Curtius bis particulam *,a'* adnectit, de quo postea loquemur, semel praepositio omissa est in IV. 9. 6: *,Babylone copias movit'*. Praeterea praepositio non est addita IV. 2. 11:

‚Carthagine auxilia ventura‘; VII. 5. 28: *‚Mileto . . . . transierat‘*; III. 7. 4: *‚Spectanti nuntius laetus adfertur Halicarnaso‘;* Aldus et Snakenburgius iniuria scribunt *‚ex Halicarnaso‘.*

Particulae *‚procul‘* Curtius praepositionem *‚a‘* plerumque non adiicit; semper omissa est in urbium nominibus et insularum, ut IV. 7. 4: *‚haud procul Memphi erat‘*, IV. 8. 1: *‚haud procul insula Pharo sitam‘.* Cicero autem eiusque aequales nusquam ita locuti sunt; Livius primus et qui eum secuti sunt, paene semper simplicem ablativi casum posuerunt; atque Curtius quoque usui Liviano obsecutus esse videtur, sexiens enim deciens praepositio abest, quater tantum subiecta est, velut X. 1. 14: *‚haud procul a continenti‘;* IX. 6. 20. IV. 2. 24. Semel praepositio nomini terrae addita est, de quo postea pag. 40. dicetur.

Reliquum est, ut de eis locis disseramus, ubi digressus ab aliqua urbe praepositione *‚ab‘* addita distinctius notatur. Sic V. 6. 9: *‚camelos et a Susis et a Babylone contrahi iussit‘* perspicuitatis causa particula *‚a‘* adposita est, quae si omissa esset, Alexandrum camelos in illis urbibus vel ad illas urbes contrahi iussisse crederes. Codices hoc loco variant, Bernenses enim habent *‚Babylone‘*, Florentini H E autem *‚a Babil(l)one‘*, Florentinus C: *‚a Babilonia‘;* Leid., Voss. 1. 2.: *‚et a Susis et a Babylone‘*, quod ab Hedickio iure in contextum verborum receptum est, nam cum vocula *‚et‘* ante verba *‚a Susis‘* locum teneat, postea aequabilitatis causa etiam ante nomen *‚Babylone‘* ponenda erat.

In reliquis exemplis praepositio *‚a‘* nomini urbis adposita est, ut discessus ab urbe maiore cum pondere exprimatur, in quibus eam legem observamus, ut nomini urbis, ex qua quis discedit, alterum nomen urbis vel terrae, ad quam quis accedit, semper oppositum sit; ubi autem praepositionem omissam esse videmus, numquam ad quem locum iter dirigatur, additur. Itaque IV. 7. 2: *‚postquam a Gaza copias moverat‘* verba *‚in regionem Aegypti . . . . pervenit‘* sequuntur; itemque verbis IV. 7. 5: *‚A Memphi eodem flumine vectus‘* adiec-

tum est *‚ad interiora Aegypti penetrat‘*. Eadem de causa V. 6. 19: *‚postquam a Persepoli profectus est‘* praepositio *‚a‘* adiecta est, quod verba sequentia *‚eodem rediit‘* i. e. ‚ad urbem Persepolim rediit‘, ut profectio planius designetur, praepositionem requirunt. Simili modo ille locus V. 13. 1. *‚Dareum movisse ab Ecbatanis‘* explicari potest, quia hic quoque, in quam terram Dareus iter dirigat, sequentibus verbis *‚in Mediam fugientem‘* exponitur. Itaque Curtium aut perspicuitatis causa aut ut condicio aliqua distinctius notetur, praepositionem *‚a‘* addidisse affirmare posse mihi videor. Neque hac in re Curtius ab usu optimorum scriptorum discedit, quoniam Cicero quoque ad Fam. XV. 3. 2. perspicuitatis vel orationis numeri gratia dicit *‚ab Epheso in Syriam navibus profectus erat‘*. Sunt qui censeant omissa praepositione designari locum interiorem, exteriorem adiecta. Quod etsi interdum verum esse concedendum est — confirmant enim et tres illi loci ex Curtio allati — tamen plerumque praepositionem alia ex causa addi censeo. Confer. Suetonius August. cap. 86: *‚neque praepositiones urbibus addere . . . . dubitavit* (sc. Augustus) *‚quae detractae adferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent‘*.

II. b. de usu nominum insularum, in quibus quaeritur per ‚unde‘.

Ut insularum nomina, si accessus ad insulam aliquam notatur, eodem modo quo nomina urbium a Curtio construuntur, sic etiam, quando de profectione ex insula dicitur, idem mos valet; atque ablativum simplicem hic Curtius praeferre videtur. Supra iam pag. 18. de loco IV. 8. 1: *‚haud procul insula Pharo sitam‘* diximus; iam aliud exemplum adferimus, quod IV. 3. 11. invenitur *‚classis Cypro advenit‘*. Cuius usus alia exempla non occurrunt in libris Curtianis. Quod supra de usu nominis Cypri diximus, hic quoque valet, conferas igitur pag. 16. Atque adeo, si per *‚ubi‘* quaeritur, nomen huius insulae, non quidem a Curtio, cuius in libris

omnino nullum exemplum huius usus reperitur, sed a Cornelio Nepote sicut nomen urbis constructum est, veluti Chabr. II. 2: ‚*fecit idem Cypri*‘ et III. 4: ‚*Conon plurimum Cypri vixit*‘.

III. de usu nominum urbium, in quibus quaestio fit per ‚ubi‘.

Numquam, si in aliquo loco versari aliquem aut fieri aliquid exprimere vult Curtius, praeverbium ‚*in*‘ ponit, quod ab aliis scriptoribus addi solet, aut si regio urbis velut portus (ut apud Cic. ad Att. VIII. 3: ‚*navis et in Caieta est parata*‘) indicatur aut si nomen urbis est adiectivum (ut apud Caes. b. civ. II. 18: ‚*in Hispali*‘). Atque primum quidem Curtius formam locativi adhibuit uno loco V. 1. 45: ‚*ex pecunia deinde Babyloniae tradita*‘. Sic est legendum, quia libri mss. omnes ita iubent, neque, ut in antiquioribus editionibus legitur, vocabulum ‚*tradita*‘ omittendum est, quod si iure fieret, illa verba ita essent explicanda ‚ex pecunia deinde urbis Babyloniae‘ vel ‚ex pecunia deinde Babylonia‘.

Hic locus occasionem mihi offert de eis dicendi, quae leguntur IV. 1. 16: ‚*Hephaestionique permissum, ut, quem eo fastigio Sidonis dignissimum arbitraretur, constitueret regem*‘, quem locum Gronovius facile mutavit in ‚*e Sidoniis*‘ cet. Muetzellius autem utraque scriptura reiecta mendum ‚*Sidonis*‘ ex forma locativi ‚*Sidoni*‘ ortum esse opinatur. Quae sententia tam vacillare quam claudicare mihi videtur. Constat quidem scriptores Latinos hanc locativi formam in ‚*i*‘ exeuntem saepius adhibuisse, de qua re videas Kuehneri lat. Gramm. I. p. 178.; Buecheleri ‚Grundriss d. lat. Decl.‘ pag. 62.; Wageneri ‚de locativi Latini usu‘ pag. 11. sqq. Jenae a. 1870., et usurpatam esse ‚*Sidoni*‘ formam testimonio Charisii (cf. gramm. Lat. ex rec. Keilii vol. I. p. 188.) confirmatur. Tamen forma in ‚*e*‘ exiens frequentius ab elegantioribus scriptoribus adhibita est, cui usui Curtium quoque obtemperasse apparet ex exemplis infra adferendis. Itaque coniecturae Muetzellii non

assentior. Contra excepto illo loco (V. 1. 45.) Curtius pro locativi forma semper ablativum casum posuisse videtur, nisi forte in illis verbis III. 8. 12: *‚Damascum Syriae‘* forma locativi investigatur, quoniam in inscriptione, quae a Th. Mommseno in inscript. Neapolitan. num. 2516. edita est, eundem locativum invenimus *‚Mercatores qui Alexandr. Asiai Syriai* (pro ‚Asiae, Syriae‘) *negociantur‘*. Sic aliarum etiam terrarum nomina interdum usurpata sunt, velut *‚Lybiae‘* in Vergil. Aen. IV. 36., quod Victorinus de arte grammatica p. 1951. testatur. Sed hoc loco *‚Syriae‘* genetivum esse multo probabilius est, de quo vid. pag. 12. Vix opus est commemorare locativi formas per totam latinitatem servatas *‚domi, miltitiae domique, humi, pridie, cotidie‘* apud Curtium quoque inveniri, veluti III. 13. 15. VII. 2. 33. VI. 6. 3. VII. 1. 13. III. 8. 6. Non autem utitur locativis: *‚ruri, heri‘*.

Alibi in nominibus urbium ablativum casum Curtius usurpavit, sic V. 1. 35. *‚Babylone regnantem‘*; X. 6. 1. *‚Babylone‘*. Ablativum codices etiam V. 1. 43. tradunt *‚arci Babylone Agathone praesidere* (vel *‚praeside(m) esse‘) iusso‘*; itemque V. 1. 44.: *‚Mazaeum . . . . satrape(a) Babylone donat‘*, pro quibus formis in libris editis *‚Babyloniae‘* aptius scribitur. Lectiones autem codicum — si omnino intellectum haberent — ita explicandae essent, altera *‚Agathone in urbe Babylone arci praesidere iusso‘*, altera *‚Mazaeum satrapea in urbe Babylone donat‘*, quibus Curtius et Alexandrum Babylone versatum esse, cum Mazaeum donaret, et satrapeam regionis Babyloniae esse exprimeret. Sed quamqum similes structurae in libris Curtianis saepius occurrunt, veluti III. 10. 4: *‚tot bellorum in Europa victores‘*; V. 5. 9.: *‚sedem in Asia‘* quae apud scriptores elegantiores raro inveniuntur, istae profecto lectiones, praecipueque posterior, rationi grammaticae Latinae, quae aut participii additionem aut genetivum poscit, adeo repugnant, ut correctio necessaria sit. Atque ideo *‚Babyloniae‘* verisimillimum est, quod *‚ae‘* et *‚e‘* non raro confunduntur, sic III. 3. 25: *‚proxime‘* pro *‚proximae‘*; IV. 3. 9: *‚superque‘* pro *‚super quae‘*, multisque aliis locis. Puto igitur ex *‚Babyloniae‘*

primum *,Babylonie'* ortum esse, deinde *,Babylone'*. Huc pertinet imprimis illud, quod X. 6. 1. legimus, ubi pro vulgato *,Babylone'* Voss. 2.: *,Babylonie'* exhibet, itemque V. 1. 35.: *,Babylonie'*. Idem mendum saepius in accusativi forma reperitur, multo enim crebrius *,Babylonam'* quam *,Babyloniam'* in codicibus scriptum est; conf. etiam VI. 4. 13., ubi plerique libri pro *,fugienti'* *,fugenti'*, VIII. 6. 6. pro *,seminarium'* *,seminarum'* habent. Fortasse etiam V. 1. 35., et X. 6. 1. eadem de causa pro *,Babylone'* melius *,Babyloniae'* scribitur; cum enim Curtium accusativi forma *,Babyloniam'* usum esse verisimile sit (cf. pag. 24. sq.) eandem locativi quoque atque ablativi formam adhibuisse facile credi potest; cui sententiae favent illae lectiones codicis Voss. 2.: *,Babylonie'* et quod V. 1. 35. in plerisque editionibus veteribus et codicibus deterioribus *,Babyloniae'* legitur. Sed ea de re tum demum cum fiducia iudicari poterit, cum codices maiore cum diligentia collati erunt; cf. etiam V. 6. 9., ubi pro *,Babylone'* ex Flor. C: *,Babylonia'* adnotatur; IV. 9. 6. omnes autem codices *,Babylone'* exhibent.

IV. de nonnullis praepositionibus nominibus urbium subiectis.

Restat, ut de nonnullis praepositionibus, quae nominibus urbium adhaerentes diversas condiciones significant, dicamus. Si igitur de locorum propinquitate et vicinia dicitur, praecipue in proeliis designandis, praepositio *,apud'* adhiberi solet, cuius usus exempla aliquotiens nobis occurrunt, ut in IV. 1. 34.: *,proelio apud Isson'*; V. 1. 2. V. 2. 5. aliis locis.

Quod Muetzellius de loco IV. 5. 19: *,quae apud Chium acta erant'* statuit praeverbium *,apud'* pro *,in'* usurpatum esse, id non recte se habere censeo. Nam etsi haec notio praepositionis *,apud'* non numquam, veluti apud Tacitum, reperitur, tamen hoc loco illa aliter explicari potest; nam Aristonicus utrum ignarus fuerit eorum, quae in urbe Chio an quae in regione eiusdem urbis acta essent, scriptor in dubio relinquit.

Notandum autem est nonnullos codices lectionem *‚apud Tyrum‘*, Aldinam *‚ad Thirum‘* praebere, quod neque antecedentibus neque sequentibus verbis convenire apparet.

Ad designandum locum, quem aliqua res attingit, praepotitio *‚ad‘* quoque adhibita est in III. 2. 2. *‚castris ad Babyloniam positis‘*, quo postremo verbo simul motio ad urbem exprimitur ita ut particula *‚ad‘* eo aptior sit. — Quod Fossius et Vogelius in IV. 7. 4. scribunt *‚ad Cercasoron‘*, hic praetereundum est; coniectura enim est pro lectione codicum *‚Oron‘*, quae quantum probabilitatis in se habeat, disceptare nolumus.

Ut aliquid in confiniis alicuius urbis fieri vel positum esse indicet, Curtius etiam particulis *‚circa‘* et *‚circum‘* utitur. *‚Circum‘* magis circuli speciem designat quam *‚circa‘*; itaque in VII. 8. 21: *‚quamdiu circum Bactra haereas?‘* positum est, ut, cum de oppugnatione urbis dicatur, circuitus indicetur. *‚Circa‘* et de vicinitate et de regione, quae urbem circumcludit, dicitur IV. 5. 9. *‚regioni circa Tyrum‘*, X. 8. 11: *‚circa Babyloniam campis‘*; aliis locis (VIII. 1. 36. IX. 7. 1.)

Praepositio *‚per‘*, quae in se habet notionem per medium transeundi, uno loco cum nomine urbis coniuncta est in III. 3. 3: *‚equo . . . . per Babyloniam vectus‘*.

Denique de loco qui est in IV. 9. 14: *‚praeter Arbela penetrat ad Tigrin‘* nobis est disserendum. Plerique enim viri docti voce *‚Arbela‘* in suspicionem adducta, quia Alexandrum rectam viam ad Tigrin versus ingressum esse verisimile esset, *‚Armeniam‘* maluerunt. Sed iam Raderus atque Freinshemius et post eos Zumptius verum intellexerunt et ita verba interpretati sunt: Alexandrum non proximum ad Arbela urbem iter intendisse, sed pabuli causa magis ad aliud latus, ad septentrionem conversum ad Tigrin penetrasse. Quae explicatio Arriani quoque (in III. 7.) auctoritas comprobatur. Verbi igitur *‚praeter Arbela‘* exponitur Alexandrum Arbela ita praeteriisse, ut urbs a dextra sita esset. Praeterea si regem recta via Arbela versus profectum esse scriptor indicare voluisset, verba *‚praeter Armeniam‘*, quae Muetzellius e coniectura sua

in contextum intulit, supervacanea molestaque essent. Huc accedit, quod dubium est, num scriptores Latini praepositionem *,praeter'* nominibus terrarum adposuerint; neque enim ab Handio in Tursellino neque a Forcellinio huius usus exempla adferuntur, quorum auctoritate si niti possumus, Ciceronem eiusque aequales haec tantum *,praeter oram Italiae'*, *,praeter Lacedaemonem'*, similia, dixisse videmus.

Additamentum.

Reliquum est, ut quaeramus, qua ratione **in scribendis nominibus urbium** Curtius usus sit, qua in parte praecipue de terminationibus accusativi est disputandum. Atque principem in hac quaestione locum occupat nomen urbis Babyloniae. Nam diversissime id verbum a codicibus traditur. Quam difficile sit statuere, quamnam terminationem scriptor adhibuisse videatur, Zumptius imprimis fatetur adnotatione ad lib. III. 2. 2. Ab eo omnibus fere locis, exceptis IV. 6. 2.; 9. 2.; X. 1. 19., *,Babylona'* forma posita est, etiam ubi codices *,Babylonam'* exhibent. Quae ratio quantopere improbanda sit, compluribus argumentis demonstrare conabor. Atque primum quidem exempla, ubi nomen **urbis** Babyloniae commemoratur, hic adiungam. Accusativi formam invenimus III. 2. 2., hic omnes codices *,Babylonam'* exhibent, item III. 3. 3.; *,Babylonam'* vel *,Babilonam'*: IV. 16. 7.; *,Babyloniam'*: IV. 6. 2.; plerique IV. 9. 2: *,Babyloniam'*, nonnulli *,Babil(l)ona'*; V. 1. 7: *,Babylonam'* vel *,Babil(l)onam'*; V. 1. 17. habent Flor., Leid.: *,Babylonam'*, Voss. 1: *,Babyllonam'*; Voss. 2: *,Babyloniam'*; X. 1. 16: Flor., Leid., Voss. 1: *,Babylona'*, alii *,Babiloniam'* vel *,Babyloniam'*; X. 1. 19: Flor., Leid., Voss. 2: *,Babyloniam'*, Voss. 1: *,Babylonam'*; X. 8. 11. alii: *,Babillona'*, alii *,Babillonia'*, Flor. B: *,Babilone'*, Voss. 1: *,babilloniae'*, plerique *,Babiloniam'*, Flor. D J: *,Babylonem'*, Flor. A., Leid . . *,Babylona'*. — Ablativi formam usurpat Curtius in IV. 9. 6: *,Babylone'*, quod omnes codices tuentur; V. 1. 35: optimi libri *,Babylone'*, deteriores et edi-

tiones veteres *,Babyloniae'* exhibent; V. 6. 9: *,Babylone'*; Flor. C unus: *,Babylonia'*; X. 6. 1: *,Babilone'* vel *,Babillone.**) — Locativi forma exstat V. 1. 45: *,Babyloniae'*, sic omnes codices tradunt. — Videmus igitur plerosque codices, in eisque optimos accusativi formam *,Babylonam'* saepissime exhibere, nonnullos: *,Babyloniam'*, in X. 8. 11. in duobus libris *,Babylona'*, in Flor. D J: *,Babylonem'* scriptum esse, interdum *,Babil(l)ona'* traditum esse. Itaque cum *,Babylonam'* ferri non possit, quippe quae forma a consuetudine scribendi omnium scriptorum abhorreat, omnibus locis non cum Zumptio *,Babylona'*, sed *,Babyloniam'* scribendum esse censeo, praesertim cum ex V. 1. 45. efficiatur Curtium nomen urbis *,Babyloniae'* omnino usurpasse, quippe qui locus aliter non possit intellegi; ubi autem *,Babylona'* exstat in codicibus, id librariis deberi censeo qui hanc formam in nomine urbis designando unice usitatam esse existimasse videantur.

Eis etiam locis, ubi Vogelius (cf. eius edit. ² pag. 29) *,Babyloniam'* nomen terrae esse vult (IV. 6. 2; 9. 2; X. 1. 19.), nomen urbis intellegi arbitror; minime enim necessarium est ita explicare ut Vogelius vult, praesertim cum usus Curtianus praepositionem *,in'* apud nomina terrarum omitti non admittat, de quo pag. 29. sqq. videas. Formam autem *,Babylonia'* de nomine urbis praecipue a scriptoribus inferioris aetatis usurpatam esse docent complura exempla, velut Plin. nat. hist. VI. 30. 1: *,praeter Babyloniam'*, Justin. I. 2: *,Haec Babyloniam condidit'*; de qua re conferas Forcellinii lexicon sub nomine *,Babylon'*.

Nomine **terrae** utitur Curtius V. 6. 43. *,regioni Babyloniae ac Ciliciae'* et VIII. 3. 17: *,Babylonia . . . . subiecta est'*.

Variant etiam codices in scribendo nomine urbis *,Arbelorum'*: IV. 9. 9. plerique praebent *,Arbela'*; Voss. 2: *,Arbelam'*; IV. 16. 9. omnes: *,Arbela'*; V. 1. 3.: *,Arbelam'* et

---

*) Pro eo, quod codices tradunt in V. 1. 43: *,arci Babyl(l)one'* vel *,Babilone'*, et V. 1. 44: *,satrapea Babylone,'* nunc in exemplaribus editis recte legitur *,Babyloniae'*; vid. pag. 21.

,Harbelam', Bongars. 2.: *,Harbela'*. Scribendum est igitur, cum semel tantum forma in *,am'* exiens ab omnibus libris tradita sit, *,Arbela'*, quam formam a Graecis quoque usurpatam esse constat.

Simile vitium reperimus V. 6. 10., ubi pro vulgato *,Persagada'* sive *,Parsagada'* libri formam *,Parsagadam'* exhibent, quam Zumptius recte in *,Persagadum'* immutavit.

Eodem modo VII. 6. 24. omnes codices *,Maracandam'* pro vulgato *,Maracanda'* praebent; *,m'* autem propter litteram *,m'* sequentis vocis *,misit'* facile bis poni poterat; VII 9. 20. plerique *,Maracantam'*, Parisinus solus *,Maracanta'* habet. Sed cum aliis locis (VIII. 1. 7.; 19.; 2. 13.; et VII. 6. 10., ubi quidem *,Marupenta'* traditur) formam in *,a'* desinentem libri uno consensu tradant, *,Maracanda'* scriptura, quam solam Graeci adhibent, ubique praeferenda est.

Huc pertinet etiam, quod X. 1. 19. legitur: *,devectaque ad urbem Syriae Thapsaga'*, ubi editores paene omnes *,Thapsacum'* formam Graecis probatam in contextum receperunt. Hic locus, de quo multi multa disputaverunt, ab aliis codicibus aliter traditur; Flor. A enim praebet *,ad urbem Syria et Hapsagas ingentarumque'* superscripta inter *,Hapsagas'* et *,ingentarumque'* particula *,et'*; Leid., Voss. 1., Bern. A. fere idem *,ad urbem Lyriae Thapsagas et ing.'*, quod vero proximum est; alii eique deteriores *,urbem'* omittunt. Illam lectionem, quam Leid., Voss., Bern. tuentur, Zumptius sic mutavit *,ad urbem Syriae Thapsacum, septingentarum carinas navium ponere'*, quae coniectura a plerisque in contextum recepta eatenus probanda est, quod *,septingentarum'* manum scriptoris haud dubie reddit, sed quod ad *,Thapsacum'* attinet, quod iam ante Zumptium Glareanus proposuit, non assentior. Nam etsi hoc loco de eadem urbe, quam Graeci ,Θάψακον' nominant, dici inter omnes constat, quia Arrianus VII. 19. 3. in eadem re narranda eandem urbem commemorat, tamen non est cur Latinos quoque scriptores eadem plane forma usos esse arbitremur. Atque cum ab aliis scriptoribus Latinis urbs ,Θάψακος' nusquam commemoretur, nostro autem loco plerique

atque optimi codices *,Thapsaga'* (Parisinus tamen *,thaps.'* curtatum) exhibeant, haec lectio nobis quidem videtur servanda esse. Hic dixerit quispiam verbum *,Syriae'* additum esse, ut illius urbis situs accuratius designetur, quod Thapsaga parva urbs minusque nota fuerit, ideoque non de eadem urbe cogitandum esse, cuius apud Arr. l. c. mentio fiat. Sed hoc non recte quis opponeret, quia Curtius nomen terrae, in qua urbs aliqua sita est, nominibus urbium cum parvarum tum amplarum notarumque omnibus, veluti III. 8. 12.: *,Damascum Syriae'*, adiecit.

Terminationem *,an'* Graeci accusativi in nomine urbis Gazae reperimus; Gazan (Γάζαν) igitur omnes codices IV. 6. 7. tuentur teste Snakenburgio; Hedickius de hac re silentium tenens *,Gazam'* edidit; item IV. 5. 10. omnes codices *,Gazan'* exhibent; dubium est tantummodo, num Florentini *,Gazam'* habeant, Hedickius enim signum interrogationis (?) post litteram *,F'* addidit. Kuehnerus (ausf. Gramm. d. lat. Spr.) tom. I. § 97. 5. adnot. 2. in enumerandis eis nominibus, quae in pedestri oratione interdum terminationem accusativi *,an'* ostendunt, illud nomen non habet; nec magis Neuius, lat. Formlehre, I. 54. 55. edit. 2.

Syllaba finalis *,in'* pro *,im'* aliquando ab eis substantivis adsciscitur, quae Graecis non *,ὀξύτονα'* erant (cf. Kuehneri ausf. Gr. I. § 80. 4.), quam rationem Curtius semel sequitur IV. 1. 27., ubi codices omnes *,Tripolin'* praebent. Accusativum nominis *,Memphis'* scribendum esse *,Memphim'* efficimus ex IV. 1. 30., ubi optimi codices hanc formam exhibent. Quo loco Muetzellius quidem formam in *,in'* exeuntem praefert, et item IV. 8. 2., ubi Parisinus unus (vid. inferiorem partem huius pag.) assentitur, quamquam X. 10. 20., ubi omnes praeter Flor. G. *,im'* praebent, Muetzellius *,Memphim'* scribere non dubitat. Aliorum substantivorum accusativi tum terminationem *,in'* tum *,im'* admittunt, sic IV. 16. 7.: *,Tigrin'*, IV. 10. 8.: *,Tigrim'*. Itaque illud quoque *,Tripolin'* servandum est. Notabile autem est Parisinum multo saepius ceteris formas *,in'* *,an'* *,en'* exhibere, neque unquam, si ceteri formas

,in' ,an' ,en' praebent, *,im'* aut *,am'* aut *,em'* contra tueri. — Neuius lat. Forml. I. 312. sqq. in enumerandis harum formarum exemplis Curtii nullam rationem habuit.

Ex eis igitur, quae de nominibus urbium insularumque dicta sunt, Curtium in hac parte semper usui optimorum scriptorum obtemperasse efficitur. Nisi quod eum praepositione *,ab',* si recessus ab aliquo loco significetur, paullo saepius illis usum esse verum est. Praeterea addimus eum interdum nomina urbium pro nominibus terrarum posuisse, veluti V. 3. 3.: *,finitima Susis est,'* III. 10. 5.: *,Bactra',* aliis locis. Neque vero in Cypri insulae nominis usu Curtius ab usu ceterorum ita discedit, ut peculiare quid admittere videatur.

Pars II.

I. a. de usu nominum **terrarum**, in quibus quaeritur per ‚**quorsum**'.

Contra nomina terrarum Curtius non semper scriptorum elegantiorum usui adaequavit, quatenus auctoritati codicum confidere licet. In hac quoque parte secundum ordinem a nobis in priore parte institutum primum sunt enarranda ea, quae motum ad aliquam terram aut ingressum indicant, exempla. Usitatissimum est verba eundi, veniendi, mittendi, ducendi cum praepositione ‚*in*' componi, quod multis exemplis comprobare non opus est. Itaque eas tantum locutiones commemorabo, quas aut insigniores aut a grammaticis accuratius tractatas esse video. Livium imitatus Curtius III. 4. 1. verbum, quod est ‚*excercitum*' omittit; ex optimis enim codicibus depromptum est ‚*cum adversus Croesum in Lydiam duceret*'. In V. 4. 4. autem ‚*exercitum*' Curtius addit, legitur enim hoc loco ‚*in Persidem . . . . exercitum ducere*'. Similiter verbum ‚*movendi*' pro ‚*castra movendi*' usurpat VIII. 9. 1.: ‚*in Indiam movit*'. Cicero quoque et Livius id verbum eodem modo adhibent, tamen non addunt, ad quam quis regionem proficiscatur, sed tantum, ex quo loco iter fiat, commemorant. Muetzellius quidem his similibusque locis ‚*movere*' verbum reflexivum esse vult, cf. edit. V. 13. 1., sed sententia eius argumentis caret; atque certe omnibus locis, etiam eis, quos Muetzellius l. c. adfert, vox ‚*signa*' suppleri potest, quo facto sententia verborum

non turbatur. Nimirum compendii gratia verbum movendi, quod sermone militari saepissime adhibebatur, absolute positum est.

Verba adeundi, subeundi, intrandi, invadendi, si nominibus terrarum accedunt, semper carent praepositione. Omnino apud Curtium verba adeundi et subeundi semper, verba in trandi (exceptis IV. 2. 17. et III. 12. 10.) et invadendi (excepto VIII. 11. 11.) paene semper praepositionem repudiant. Itaque IV. 5. 4—5. Hedickius nunc iure scripsit *‚veniendum in campos . . . . in Mediam, Hyrcaniam, Bactra: et Indos . . . . quando aditurum‘*. Sic enim cum praepositio *‚in‘* non ad verbum *‚aditurum‘*, sed ad *‚veniendum‘* referatur, lectio codicum *‚in Mediam‘* cet., quam alii in *‚inde‘* mutandam esse censuerunt, haud cunctanter retineri potest.

Notabile est praeterea illud: *‚(regio) in primam Persidem excurrit‘*, quod dicitur pro ‚usque in primam Persidis partem‘, ut Germani dicunt *‚bis vorn hinein‘*.

Neque vero solum cum verbis nomina terrarum praepositione *‚in‘* addita componuntur, sed etiam e substantivis pendent. Cuius usus exempla adfero ex V. 3. 22.: *‚in Pamphyliam iter‘*; III. 11. 19. Sic etiam vocabulum *‚usque‘* adiectum est, quo notio penetrandi in aliquam terram distinctius exprimatur, in VII. 8. 18.: *‚patuitque nobis iter usque in Aegyptum‘*. Ubi autem accessus usque ad fines alicuius terrae designatur, *‚usque ad‘* positum est, ut in VII. 8. 30.: *‚ultra Tanaim uspue ad Thraciam colimus‘*.

Hic illud quoque nobis adferendum est, quod legitur V. 13. 1.: *‚Alexander audito Dareum movisse ab Ecbatanis, omisso itinere, quod petebat, in Mediam fugientem insequi pergit strenue‘*, propterea quod Muetzellius, Zumptius, alii codicum lectionem utpote repugnantem eis, quae Arrianus III. 19. tradit, mutaverunt hoc modo *‚quod patebat in Mediam, fugientem‘* cet. Sed scriptura librorum mss. aptum sensum praebere mihi videtur, si verba *‚in Mediam fugientem‘* interpretamur ‚in interiores regiones Mediae fugientem‘, ut nos dicimus: *‚tiefer*

hinein'; ob eamque causam Hedickius quoque verba, quae sunt *,quod petebat, in Med. f.',* retinuit.

Uno loco (V. 4. 11.) substantivum *,via'* cum verbo ferendi coniunctum praepositio *,in'* sequitur: *,in Persidem ferentis viae'.*

Nunc iam transeamus ad locum illum VIII. 2. 14., qui a vulgari grammatica paullo videtur discedere. Cum enim in verbis *,ipse Xenippa pervenit'* Xenippa regionem esse ex eis quae sequuntur efficiatur, quamvis viri docti, ubi sit ea regio quaerenda, dissentiant, ratio grammatica praepositionem *,in'* poscit. Lectio haec, cum certa codicum auctoritate nitatur, etiamsi Curtius omnibus aliis locis (excepto uno; vid. infer. part. hui. pag.) praepositionem *,in'* subiciat, a nobis servanda est. Ceterum una res est qua exemplum nostrum excusari posse videatur. Nam cum Curtius aliquando usurpet urbium nomina, quibus regionem urbi proximam designet, ita ut nomen urbis pro nomine terrae positum sit, exempli gratia III. 10. 5.: *,Macedonum provincias Bactra et Indos fore';* V. 3. 3. *,finitima Susis est',* nihil obstat, quin hoc quoque loco nomen urbis Xenipporum pro nomine regionis usurpatum esse opinemur. Quae opinio eo probabilior videtur, quod alio quoque loco similiter dictum est, quam structuram item optimi quique codices tuentur; VIII. 10. 19 enim legimus: *,ergo Acadira transit aeque usta et destituta incolentium fuga'.* Hic quoque *,Acadira'* pro nomine terrae habeo ita tamen, ut commune nomen et urbi et regioni esse statuam, cum sic modo verba sequentia aptum sensum praebeant, vocabulo enim *,aeque'* (pro quo codices quidem inepte *,atque'* exhibent) scriptor dicere voluit, Acadira aeque ac Daedala — quam regionem paullo ante commemorat — usta et destituta ducem transiisse. Scriptura illius nominis dubia est, tamen nulla causa est, cur a lectione optimorum codicum recedamus, quoniam aeque obscura sunt Acadira et Acadera, quod antiquiores aliquot editiones exhibent, ac Cadira (ex Pal. 1.) vel Candira (ex Voss. 2.); neque *,Andaca',* quod nomen Arrianus IV. 23. 5. tradit, scribi potest, quia hoc nomen a scriptura codicum nimis re-

cedit et quod Arrianus hanc *urbem* non desertam a suis, sed deditam esse memoriae prodit. Nullius vero momenti esse puto, quod in Aldina scriptum est ‚*Adaca*', quae vox Arriani ‚*Andaca*' in textum recipiendum esse indicare videtur. Is enim, qui Aldinam curavit, saepius non nomina, qualia in codicibus traduntur, retinuit, sed Arrianum secutus immutavit, exempli gratia III. 6. 1.: ‚*Acarnan*', codices: ‚*Arcanan*'; III. 11. 10. ‚*Atizyes*', codices: ‚*Atyzies*'; IV. 8. 4.: ‚*Polemonem*', codices: ‚*Polimonem*'; neque semper recte. In Pal. 1., Voss. 2 praepositio ‚*ad*' adposita est, quod haud dubie interpolatori debetur. Atque ideo etiam lectio ‚*ad Cadira*' reiicienda est, quod, si ita scriberetur, particula ‚*ad*' nomini terrae adfixa offenderet, quem usum apud vergentis demum latinitatis auctores reperiri Ruddimannus institut. gr. Lat. II. pag. 280. adnot. 27. probavit. Quibus de causis lectio ‚*Acadira*' ceteris praeferenda est.

Alios quoque scriptores nudum accusativum quamquam raro, tamen aliquando posuisse monendum est, ut Livius XXXI. 43. 5.: ‚*equites mercede conductos Aegyptum vexit*' et posteriores saepius, ut Sueton. Tib. 72: ‚*rediens Campaniam*'; Val. Max. V. 1. 4.; Just. XV. 2. Qui usus imprimis in eis exemplis observatur, ubi dicitur de terris maritimis, ad quas navium cursus dirigitur, de quo vid. pag. 16. Ciceronem etiam ut in nominibus insularum ampliorum sic in nominibus terrarum interdum idem admisisse nemo firmo agumento demonstravit. Illud enim exemplum, quod adferri solet, nat. deor. III. 22. 56.: ‚*ob eamque causam Aepyptum profugisse*', propterea quod littera ‚*m*' antecedit et quod e Lactantii instit. I. 6.: ‚*in Aegyptum*' apud Orellium adnotatum est, ambiguum videtur. Itemque apud Caes. b. g. III. 106. 1.: ‚*coniectans eum Aegyptum iter habere*' ‚*m*' praecedit; neque lectio b. c. III. 41. 1.: ‚*Macedoniam pervenit*' fide omnium codicum nititur.

I. b. de structura nominum gentium pro terrarum nominibus usurpatorum.

Nomina gentium quaedam pro nominibus terrarum Curtius aut tum usurpat, cum lingua Latina nomine terrae caret, aut cum scriptor rhetorum dictionem imitaturus variandae structurae studet. Nonnullis locis etiam neglegentiam quandam Curtii observamus. Sic ad variandam ornandamque orationem III. 10. 5. ‚*Indos*' pro ‚*Indiam*', scriptum est: ‚*Macedonum provincias Bactra et Indos fore*'; itemque haec nomina collocata sunt in IV. 11. 13. Quos locos ea tantum de causa attulimus, quia, quamquam nomina gentium non cum praepositionibus coniuncta sunt, usus de quo dicimus optime eis illustratur. Iam hic commemoranda sunt haece: VII. 3. 1.: ‚*iter pronuntiari iubet in Arimaspos*'; VII. 3. 2. ‚*inrupisse . . . . in Arios*' (codices: ‚*alios*'); VII. 4. 5. ‚*in Sogdianos recedere*'; IX. 10. 6. ‚*in Oritas transit*'. Hanc structuram ne scriptores quidem aureae aetatis adhibere dubitaverunt; neque enim apud Cornelium Nepotem solum huius usus exempla deprehenduntur, sed apud Caesarem etiam bel. gal. IV. 11.: ‚*in Ubios legatos mittendi*'. Omnes autem et historici et oratores in eo consentiunt, ut nominibus gentium, quae ad terras designandas adhibentur, praepositionem ‚*in*' numquam non praefigant. Nam Tac. ann. XII. 32. nunc recte legitur: ‚*in Ceangos*, pro ‚*inde Cangos*'; sed unus eiusdem scriptoris locus maiorem difficultatem adfert, ann. XII. 51. enim omnes codices praebent ‚*praeceps Hiberos ad patrium regnum pervadit*'. Tamen Tacitum ita scripsisse non credo, etsi originem depravationis explicare non audeo. Apud poetas quidem hic usus frequentius observatur; scriptores prosae orationis ita dixisse nego. Quam ob rem ei loci, ubi codices Curtiani praepositionem ‚*in*' omittunt, accuratius nobis examinandi sunt. Quorum locorum unum reperimus VI. 6. 36.: ‚*hac manu adiecta Drangas pervenit*'. Sed quamquam vulgo ita legitur, tamen haec lectio nullam auctoritatem habet. A codicibus enim omnibus vocabulum,

quod est ‚*pervenit*', abest, et vocem ‚*Drangas*' sequuntur verba ‚*bellicosa natio est*'. Verbum autem, quod est ‚*pervenit*', primum in editionibus Modii et Aldi invenitur. Pro quo Hedickius ‚*adit*' posuit, quo recepto omnis difficultas tollitur. Mihi tamen verisimilius videtur verbum ‚*perdomuit*' vel simile excidisse.

Veniamus ad alterum locum, ubi ante nomen gentis praepositio ‚*in*' deest; vulgo enim legitur IX. 8. 11.: ‚*inde Praestos, et ipsam Indiae gentem, perventum est*'. Haec verba Hedickius, ut praepositionem ‚*in*' restituat, sic mutavit: ‚*in Depraestos*' cet. Quae coniectura quamquam facillima est nomenque ‚*Depraesti*' eodem iure quo ‚*Praesti*' poni potest, cum nemo historicorum praeter Curtium eius gentis usquam mentionem fecerit, tamen nihil probabilitatis ideo in se habet, quod Curtius, cum narrat exercitum aliquem ab altero loco ad alterum pervenisse, aut particulas ponit ad locum vel ad tempus pertinentes, exempli gratia ‚*hinc, nondum, deinde, inde, interim, paullo post, iamque, tum*', aut ablativum absolutum aut aliud, quo verba cum antecedentibus coniungantur, praeterquam si verbum perveniendi antecedit, ut IX. 4. 1.: ‚*perventum erat in regionem*'; cf. tamen IV. 1. 15., ubi codices ‚*deinde*' omittunt. Huc accedit, quod verba sequentia ‚*et ipsam Indiae gentem*' supervacanea sunt. Inutile autem est, pro nomine ‚*Praestos*', quod a nullo alio scriptore commemoratur, aliud nomen gentis huic simile, velut ‚*Praesidas*', substituere, qua mutatione difficultas non tollitur. Praesidae enim, de quibus Justinus lib. XII. 8. dicit ‚*inde* (sc. Poro superato) *Adrestas, Catteanos, Praesidas, Gangaridas caesis eorum exercitibus expugnat*', ad hunc locum ideo non sunt referendi, quia ista gens ad Hydraotem amnem vel ad Hyphasim domicilia habebat, ea autem gens, ad quam Alexander Musicanis superatis venit, infra Musicanos, qui non longe ab ore Indi aberant, quaerenda est. — Quod Vogelius (cf. edit. [2] II. pag. 269.) coniicit vocabulum ‚*praestos*' mutilatum esse et fortasse antecedentem vocem ‚*praesidium*', quam non quadrare verum est, reliquias eius continere, parum verisimile

est. Sed is qui accuratius reputaverit, quae voces nostri loci offensioni sint quaeque non sint, unum profecto mihi concedet vocem *‚inde‘* et voces *‚perventum est‘* prorsus esse aptas atque convenire usui Curtiano, voces autem *‚praestos et ipsam‘* graviter offendere. Itaque post verbum *‚praestos‘* lacunam statuendam esse censeo, quae forsitan sic explenda sit: *‚Inde per aestuos* |as et desertas regiones ad proxim| *am Indiae gentem perventum est‘.* Verba enim *‚per aestuosas‘* mutilata pro nomine gentis habita esse non improbabile est; illa autem *‚et ipsam‘* reliquiae, ut ita dicam, verborum *‚et . . . . proximam‘* esse mihi videntur.

Tertius locus, ubi praepositio *‚in‘* vulgo omittitur, VII. 5. 31. est. Ibi plerique codices habent: *‚Postero die occurrentibus Bra(n)chiadas secum procedere iubet‘,* quae verba sic sunt intellegenda ‚cum postero die Milesii regi occurrerent, illos secum ad urbem Branchiadarum procedere iussit‘, ita ut nomen *‚Branchiadae‘* pro nomine loci posita sit. In duobus autem codicibus Bong. 1., Voss. 2.: *‚Branc(h)iadis‘* traditum est. Hinc Madvigius (adv. crit. II. p. 533.) et A. Hugius (Bursiani Jahresber. 1873. p. 510.), *‚Branchidis‘* verum esse comprobaverunt, idque Vogelius (ed. 2.) et Zumptius (edit. a. 1864.) in contextum receperunt. Quodsi *‚Branchidis‘* scribimus, hunc sensum nanciscimur: ‚Cum p. d. Branchidae regi occurrerent, Milesios secum ad urbem procedere iussit‘. Igitur ne ex hoc quidem loco efficitur Curtium interdum nominibus gentium, ad quas quis progrediatur, praepositionem non addere.

I. c. de nonnullis aliis locis huc pertinentibus.

Ad nostram disputationem septem praeterea loci pertinent, ubi, etsi Curtius exercitum ad locum aliquem venisse demonstrat, tamen praepositio omissa est. E quibus eum primum tractemus, qui legitur IV. 8. 1.: *‚ut Mareotin paludem,*

haud procul insula Pharo sitam, venit'. Sic exhibent codices Palat., Petri Danielis, Cl. Puteani, Cl. Faucheti, Bongars., qui sunt deteriores; Parisinus autem, omnium vetustissimus, et cod. Petri Pithoei praebent: *,in Mareotin'*; Flor. D: *,in mareotim'*; Flor. ceteri, Leid., Voss. *,rediens Mar.'*; Modius habet *,ut ad M.'*; editiones antiquiores praeter Modianam addunt *,ut a mari ad Mar.'* Ex hoc etsi videmus plerosque libros, in quibus sunt nonnulli haud spernendae fidei, praepositionem *,in'* omittere, tamen cum apud Curtium nullum certum exemplum reperias, ubi haec praepositio, cum directio ad loca indicetur, omittitur, hoc loco Curtium sic non scripsisse, sed lectionem plerorumque codicum pro corrupta habendam esse censeo; illi enim loci, de quibus supra diximus, aut ei, de quibus statim infra loquemur, a Curtio hunc usum observatum esse minime demonstrant. Itaque id in contextum recipiam, quod codices Petri Pithoei, Paris., Flor. D. tradunt *,rediens in Mar. pal. . . . . venit'*, praesertim cum Parisinus non solum vetustissimus omnium, sed etiam fide praestantissimus sit, quod et Eussnerus in illa commentatione *,specimen crit. ad scriptores quosdam Latinos'* et Hedickius in illa *,de codicum Curtii fide'* probaverunt, atque codices Leid., Voss., Flor. (praeter ,D'), qui Parisino fide non multum cedunt, idem indicare videantur; nam cum in illis *,rediens Mar.'* legatur, praepositionem *,in'* omissam esse arbitror, quoniam *,in'* et littera *,m'* sequentis vocabuli *,Mareotin'* facile confundi poterant, de quo cf. pag. 37. III. 8. 17., cui loco idem malum inhaerere apparet, et X. 5. 12., ubi codices ante verbum *,mediis'* particulam *,in'* omittunt; saepius quidem in codicibus *,in'* deest, si littera *,m'* antecedit, ut V. 1. 25.: *,pedum (in) latitudinem'* — nimirum quod *,pedū'* a librariis scribebatur —; VI. 11. 39. VII. 1. 29. IX. 10. 26; praeterea cf. III. 8. 3. VI. 1. 16. VI. 5. 21. VIII. 11. 2. IX. 3. 9. (Hedickii edit.) Atque in universum de particula *,in'* animadvertendum est, eam secundum editionem ab Hedickio curatam quinque et viginti locis aut in omnibus aut in nonnullis codicibus omissam, noviens confusam, quattuor locis supervacaneam esse;

ad haec multa exempla ex adnotationibus Snakenburgii et Zumptii adiici possunt.

Ceterum notandum est Hedickium omnes codices *,ut Mar.'* praebere affirmare, Muetzellium autem, Snakenburgium, alios varias lectiones adnotare; sed, etiam si Hedickius veriora tradat, tamen verisimilius est particulas *,ut'* et *,in'*, quam *,ut'* et *,ad'* confusas esse, cui opinioni favent hi loci: X. 5. 30. X. 6. 15. VI. 9. 7. (Hed.), Liv. III. 5. 14., alii. Lectio *,ut'* autem praecipue ea de causa reiicienda est, quod Curtius nusquam particulam *,ut'* pro nostro *,sobald als'* cum verbis veniendi vel ducendi coniunxit, sed verba conspiciendi, occupandi subicere solet; in VII. 3. 2. autem: *,quintus dies erat, ut in eam regionem pervenerat'* particula *,ut'* *,seitdem'* vertenda est. — Ceterum monendum est in IV. 7. 9. optimos quosque codices *,descendit ,ad' Mareotin'*, Flor. E H, Bern. B. *,in'* exhibere.

Iam pauca verba de illo loco III. 8. 17., quem supra commemoravimus, addenda sunt. Hic omnes codices habent *,speculatores maritimas regiones praemissos explorare iubet'*, ubi *,in'* non solum propter litteram *,m'* vocabuli *,maritimas'* facile praeteriri poterat, sed ideo etiam, quod *,maritimas regiones'* ad sequens verbum *,explorare'* inscius librarius referre facile poterat. Itaque iure nunc legitur: *,in mar. reg. praemissos'*.

Tertium locum, ubi a librariis praepositio *,in'* omissa esse videtur ex simili causa, reperimus III. 4. 1. Vulgo enim hic legebatur *,Alexander . . . . Ciliciam petens cum omnibus copiis regionem, quae Castra Cyri appellatur, pervenerat'*. Aldina sola contra librorum mss. auctoritatem *,in regionem'* praebet. Iam si quaerimus, qui factum sit, ut praepositio *,in'* omitteretur, probabile est causam eius vitii esse hanc; cum in plerisque libris mss. pro verbo *,Ciliciam' ,eciam'* (*,cicam'* in Leid. et Bern., cf. Hugii quaest. Curt. Turici 1870. pag. 14. adnot. 1.) scriptum sit, illud autem nomen fortasse iam in archetypo mutilatum fuerit, verisimile est librarium quendam, cum verbum *,petens'* ad *,eciam'* (= etiam) referri non posse

existimaret, hoc ad ‚*regionem*' rettulisse ideoque praepositionem ‚*in*' exstinxisse.

Restat, ut de duobus aliis locis, qui item huc pertinent, disputemus. Editiones omnes codicum auctoritate nisae vocabulum ‚*evehi*' in IX. 9. 8. et IX. 9. 27. sic exhibent, ut praepositione ‚*in*' vel ‚*ad*' careat, quod est oppositum usui omnium scriptorum Latinorum et antiquiorum et recentiorum. Verba enim prioris loci sunt: ‚*tum aliam insulam medio amni sitam evecti*', posterioris ‚*Evectusque os eius*' (sc. ‚*amnis*'). Mea quisententia his quoque locis praepositio ‚*in*' a librario quodam oblitterata est, quamobrem aut priore loco ‚*in*' ante vocem ‚*aliam*' et litteram ‚*m*' antecedentis vocis ‚*tum*' coaluisse aut, quod est verisimilius, ambobus locis verbum ‚*invehi*' pro ‚*evehi*' ponendum esse censeo. Quae coniectura ideo etiam probabilior mihi videtur, quod alio quoque loco (IV. 4. 8.) in codicibus ‚*invehi*' et ‚*evehi*' confusa sunt; hic enim Flor., Leid.: ‚*invecta*', Parisinus ‚*evecta*', Voss.: ‚*laenvecta*' exhibent; cf. III. 13. 8., ubi editiones veteres nonnullae ‚*invehi*' pro ‚*evehi*', VII. 9. 20., ubi codices interpolati ‚*ex qua*', ceteri ‚*in qua*' exhibent. Itaque non sine causa ‚*invecti*' et ‚*invectusque*' in contextum receperim.*)

---

*) Idem verbum ‚*evehi*' corruptum esse puto in V. 4. 7., ubi plane ineptum illud legitur: ‚*Medus ad mare ad meridiem versus . . . . evehitur*'; ‚*evehi*' enim neque a Curtio neque ab aliis scriptoribus pro nostro ‚*abfliessen*' vel ‚*zustroemen*' usurpatum est; ‚*evehere*' fere idem est, quod ‚*educere*', ‚*efferre*', tum, quod ‚*tollere*'; ‚*evehi*' habet significationem proficiscendi, adequitandi, appellendi et interdum pro verbo passivo ‚*tolli*' usurpatum est. Itaque hic locus, quin plane corruptus sit, nemo dubitabit, qui eum paullo attentius consideraverit; quam ob rem verbum ‚*evehitur*' et antecedens ‚*evolvit*' a librario permutata esse putaverim ita ut priore loco ‚*aquas . . . . evehit in Medum*' (sic iam Livius dicit), posteriore ‚*ad mare . . . . evolvitur*' scribendum sit.

II. de usu nominum terrarum, in quibus quaestio fit per ‚unde'.

Postquam exposuimus nomina terrarum, quando introitus aut accessus ad aliquam terram designatur, numquam praepositione ‚*in*' carere videri exceptis duobus locis VIII. 2. 14. (Xenippa) et VIII. 10. 19. (Acadira), nunc iam quaeramus, quam rationem Curtius in nominibus terrarum, e quibus motus vel exitus fit, adhibuerit. In hac parte, cum usus nominum et urbium et terrarum alioqui regulae conveniat, insolentia quaedam adgnoscenda est. Neque enim semper elegantissimorum scriptorum more Curtius praepositionem ‚*ex*' vel ‚*ab*', quando exitum ex terra significare vult, cum nomine terrae componit, sed aliquot locis nudum ablativum usurpat, sed certis tantum conditionibus. Priusquam autem ad hanc rem tractandam transeamus, ea quae ceterorum mori conveniunt comprehendamus. Sufficiant autem hic quoque pauca exempla. Ac primum eorum, quae praepositionem ‚*ex*' adsciscunt, nonnulla exempla adferemus, qui usus est frequentior. Semel tantum nomen terrae praeverbio ‚*e*' addito cum verbo, quod ipsum cum praepositione ‚*ex*' compositum est, Curtius coniunxit, in VI. 2. 5.: ‚*quos e Graecia exciverat*'. Eadem notio motus vel exitus inest in praepositionibus ‚*de*' et ‚*re*' verbis praefixis. Hic quoque praepositio ‚*ex*' quater nominibus adiuncta est, VII. 5. 28.: ‚*e Graecia rediret*', IX. 4. 21., X. 1. 7. (‚reverti'); X. 2. 11.: ‚*deportavit ex Asia*'. Deinde verba cum praepositione ‚*ad*' composita saepius iunguntur cum nominibus terrarum per particulam ‚*ex*', velut III. 1. 24.: ‚*ex Macedonia . . . . advenerant*', aliisque locis. Eodem modo verba veniendi (VII. 10. 12.), mittendi (VI. 6. 35.), perducendi (VII. 1. 37.), fugiendi (IX. 2. 15.), cadendi (VI. 4. 19.), praecedendi (IV. 12. 22.), nuntiandi (VII. 4. 32.) per particulam ‚*ex*' cum nominibus terrarum nectuntur.

Uno loco adiectivum cum nomine terrae per praepositionem ‚*ex*' coniunctum invenimus IV. 1. 39. ‚*ex Cilicia profugi*'.

Praepositio ‚*ex*' etiam sine verbo motum vel originem significante nomini terrae adposita est, quando indicatur, cuius nationis quis sit: VIII. 5. 8.: ‚*ex Sicilia Cleo*'. Aliis locis Curtius, ut originem alicuius indicet, adiectivo uti solet, ut eodem loco ‚*Agis quidam Argivus*'.

Interdum ad motum ex terra designandum praepositio ‚*ab*' adhibita est; attamen non idem, quod ‚*ex*' significat, sed ab hoc praeverbio ita distinguitur, ut ‚*ex*' exitum e terra interiore, ‚*ab*' progressionem de finibus terrae indicet; sic IX. 6. 20.: ‚*orsus a Macedonia*' pro ‚*a finibus Macedoniae*' positum est; simili modo VII. 3. 20.: ‚*a Cappadocia se attollens Ciliciam praeterit*'; VII. 8. 13.: ‚*ab Europa petis Asiam*'. Hoc vero discrimen non semper observatum esse a Curtio exemplum in X. 1. 17. docet, ubi legitur: ‚*ex Syria petere Africam*'.

Uno loco (IX. 10. 23.) vocabulum ‚*procul*' nomini terrae subiectum praepositionem ‚*a*' adsciscit; aliis locis (V. 5. 14. VII. 7. 3,) eadem desideratur; de quo iam dictum est pag. 18.

Iam veniamus ad ea terrarum nomina, quorum simplex casus ablativus exitus notionem habet, qui usus, quamquam a scriptoribus elegantissimis evitatur et a Quintiliano I. 5. 38. ‚soloecismus' appellatur, tamen rationi grammaticae non adeo repugnat, ut illis locis emendatio quamlibet facilis necessaria videatur, praesertim cum omnes codices ubique consentiant. Neque absurdius quidem esse existimo ‚*Aegypto redeo*' quam ‚*Aegyptum navigo*', itaque non dubito, quin interdum in nominibus terrarum praecipue maritimarum praepositio sine offensa omittatur. Ceterum in hac licentia admittenda certam legem Curtius observavit; omnia enim terrarum nomina, quibus praepositio ‚*ex*' deest, verbum sequitur cum praepositione compositum et ita nomini terrae postpositum, ut particula, quacum verbum copulatum est, cum locum nomini terrae proximum teneat, quasi vicem praepositionis ‚*ex*' tenere videatur. Neque vero notabile est verbum ‚*decedendi*' simplicem ablativum adsciscere, ut V. 9. 4.: ‚*donec Asia decedat hostis*', quia

ab aliis quoque scriptoribus illud verbum cum nudo ablativo coniungitur, qui usus a Curtio ipso semper observatus est. Notabiliora autem videntur illa exempla, ubi verbum ‚*proficiscendi*' ad nomen terrae simplici ablativo positum admissum invenimus, IV. 12. 11.: ‚*quos nunc Parthi Scythia profecti tenent*' et X. 5. 12.: ‚*Macedonia profecti*'; lectiones prorsus certae sunt. Certa quoque auctoritate codicum nituntur illa verba, quae IV. 3. 7. reperiuntur: ‚*Arabia rediens*', quae Modius immerito sic immutavit ‚*ab Arabia rediens*'. Dubiam esse lectionem illam in IV. 9. 1.: ‚*Aegypto devertisse in Africam*' Muetzellius ed. pag. 208. adnotat; Zumptius autem animadvertit codices omnes particulam ‚*ab*' omittere, cui Hedickius quoque assentiri videtur, cum sub contextu nihil adnotans in textum ‚*Aegypto devertisse*' receperit. Iure vero Zumptius l. c. hunc usum imprimis frequentem esse in Aegypti nomine compluribus exemplis demonstrat; non tamen huius rei ea est causa, quod Graecae urbis simile sit nomen, cum non secus atque casu accidisse ut Graeca potissimum nomina sic constructa sint, censeam, sed alia, quam supra pag. 16. exposuimus. Alios quoque scriptores saepius hunc usum observasse compluribus exemplis probari potest. Ex aurea quidem aetate unum tantum exemplum adferre possumus, cum in ceteris, quae vulgo adduntur, lectiones ambiguae esse videantur; hoc unum — praeterimus enim illud: Caes. b. c. III. 58.: ‚*Corcyra atque Acarnania pabulum supportare*', de quo disputans Draegerus (hist. Synt. d. lat. Spr. § 215.) recte monuit nomen terrae praepositione ‚*ex*' omissa concinnitatis causa cum nomine insulae coniunctum esse — reperis apud Sallust. Iug. 39. 4.: ‚*exercitus . . . . Numidia deductus*', in quo eundem usum adgnoscas, cui Curtius obsequitur. In Veleii Tacitique libris (cf. Draegeri ‚ueb. Syntax und Stil des Tac.' 1882. pag. 27.) istam structuram saepius reperias atque cognoscas eos compluribus locis a vulgari more etiam magis Curtio recedere, cum Velleius exempli gratia verbum proficiscendi nomini terrae anteponat, ut I. 4. 4.: ‚*profecti Graecia*', Tacitus etiam verba, quae vim progrediendi in se non habent,

nomini terrae adiungat, ut hist. V. 23.: ‚*Gallia adventantes*'. Quae cum ita sint, causa non est cur locos istos Curtianos coniecturis temptemus.

III. de usu nominum terrarum, in quibus quaeritur per ‚ubi'.

Exponamus iam usum nominum terrarum, ubi quid in terra esse aut fieri exprimitur. Hic ea lex observatur, ut, ubi vox ‚*totus*' nomini terrae accedit, nudus ablativus casus ponatur, velut V. 1. 37.: ‚*tota Perside*', V. 4. 9. IX. 2. 24.; ubi autem illud adiectivum abest, praepositio ‚*in*' addatur, quod permultis exemplis nulli dubitationi obnoxiis confirmare possumus. Neque vero omnia ea hic enumerabimus utpote vulgari usui convenientia. De duobus modo locis paullo accuratius disputandum est. In III. 5. 10. vetustiores editiones haec praebent: ‚*Dareum quinto die in Ciliciam fore nuntiabatur*'. Quae quidem Cellarius contra optimos codices ita defendit ut eleganter sic esse dictum et Ciceronem etiam de leg. Man. XII. 33.: ‚*in praedonum fuisse potestatem*' dixisse contendat. Haec autem loci Ciceroniani lectio parum fidei habet, qua re critici recentiores ‚*potestate*' restituerunt. Ceterum hunc usum a ratione grammaticae Latinae non prorsus abhorrere satis constat, de quo Muetz. ed. pag. 67. videas, atque exempla certissima codicum auctoritate firmata ex Liv. II. 14. 4.: ‚*in potestatem . . . . esset*'; (XXIV. 1. 13. secundum optimos libros ‚*in potestatem Locrensium esset*'), et ex Val. Max. I. 6. 3.: ‚*Veios in potestatem futuros*' adferri possunt. Duae autem sententiae in illis locutionibus intelleguntur: et ‚*in potestatem venire*' et ‚*in ea esse*', itemque nostro loco, si accusativum casum ab antiquioribus praelatum ponimus, non solum ‚*Dareum in Ciliciam venturum esse,*' sed etiam ‚*eum in illa terra fore*'. Sed quamquam haec constructio ferri potest probabiliterque Curtius ipse alibi huic similem usum observavit, veluti VII. 3. 17. ‚*in medium . . . . aderat*'; VIII. 1. 5.

‚silvam qui in eam consederant‘, quod omnes codices praeter Parisinum praebent; VI. 11. 13. *‚in conspectum Philotae‘*, quod omnes codices tuentur excepto fortasse Bern.; VIII. 1. 37. (?), VIII. 2. 30. IX. 8. 17. X. 7. 9., nihilominus tamen nostro loco illam lectionem antiquioribus criticis probatam reiiciendam esse censeo propterea quia codicibus parum defenditur. Ob easdem causas rectius legimus VI. 5. 26.: *‚rex in conspectu fuit‘*, ubi Modius invitis etiam codicibus *‚conspectum‘* posuit, IV. 2. 4.: *‚esse templum in ea sede‘*, quae verba ab optimis libris mss. exhibita certe recipienda sunt, quod, cum de re, non de persona dicatur, verbo *‚esse‘* progressus aut directio indicari non potest, sed status modo atque condicio.

Iam duae res in quaestionem vocandae sunt V. 1. 1.: *‚vel in Graecis vel Illyriis ac Thracia gesta sunt‘*. Primum enim commemorandum est Muetzellium hoc loco *‚in Graecis‘* retinere dubitasse, etsi hanc dicendi licentiam linguae naturae non repugnare concedat. Contra hoc monendum est hunc usum non solum non a natura linguae Latinae abhorrere, sed etiam ipsi Curtio probatum esse, qui aliis quoque locis nomina gentium pro nominibus terrarum usurpaverit, qua de re iam supra pag. 33. dictum est. Praeterea animadvertendum nobis est nomen Graecorum, quamquam non de tota Graecia dictum, simili modo adhibitum esse IV. 1. 10.: *‚Graecos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasque Graecorum Ionias omni clade vastavit‘*. Item VI. 2. 14.: *‚Parthos‘* pro *‚Parthienen‘* positum est: *‚qui Parthos condidere‘*. Ablativum casum reperimus VI. 2. 7.: *‚qui nuper regnasset in Persis‘* pro *‚in Perside‘*. Eundem usum fortasse habemus in VII. 4. 21., 5. 19., 10. 10., ubi quidem nomen gentis Sogdianorum a nomine terrae propter parem formam discerni non potest, sed idem nomen gentis VII. 4. 5., ubi accusativus positus est, sic usurpatum esse scimus. Itaque nostro loco librorum mss. lectio a plurimis comprobata et in contextum recepta est, praecipue ideo quoque, quod, si *‚Graecia‘* poneretur, collocatio verborum offenderet, nam etsi Curtium affectatum quendam colorem dicendi

amare et, ut exemplum addam, nomina *,Bactra et Indos'* coniunxisse nobis persuasum est, tamen nomina terrarum et gentium non ita comprehendit, ut primum locum nomen terrae, secundum gentis, tertium iterum terrae occupet.

Eodem loco Muetzellius praepositionem *,in'*, quam codices optimi omittunt, ante vocem *,Illyriis'* requirit sententiamque suam praepositionem, ex qua duo substantiva inter se contraria pendeant, ante alterum substantivum iterum poni solere multis exemplis comprobare studet, quae tamen, quamvis alioquin consuetudine dicendi confirmetur, nostro loco parum valet. Nomina enim *,Graecis'* et *,Illyriis'* particulis *,vel'-,vel'* non tam sibi opponuntur, quam particulis *,aut'-,aut'*, *,et'-,et'* cet.; quamobrem iudico voculas *,vel'-,vel'* non postulare, ut in altero quoque membro praepositio *,in'* ponatur, sed hunc usum prout voluntati uniuscuiusque scriptoris placeat, variare. Praeterea etiam tum, cum substantiva graviore quadam vi sibi opponuntur, praepositio, imprimis *,in'*, in altero nomine non raro omittitur, cuius usus exempla reperias Handii Turs. III. 354., qui non solum e libris Taciti, sed etiam e Livii ac Ciceronis plura adfert. Quam rationem a Curtii etiam consuetudine haud ita alienam esse uno exemplo ex X. 5. 15. petito confirmabo, ubi haec verba ex optimis libris mss. leguntur: *,alius e muris, alius culmine'*. Quam ob rem, etsi particulam *,in'* saepissime oblitteratam esse scimus et aliis locis, velut VI. 2. 13. *,et in Europa et in Asia'* particulam bis poni solere, tamen cur a lectione codicum hoc loco recedamus, nulla causa est.

IV. de nonnullis aliis praepositionibus cum nominibus terrarum coniunctis.

Reliquum est, ut eas praepositiones cum terrarum nominibus coniunctas recenseamus, quae neque profectionem neque introitum exprimunt. Nomen enim terrae interdum pendet ex praepositione *,per'*: V. 4. 2.: *,per Mediam iter ostendebant'*,

ubi codices plerique quidem in eisque boni *‚per medium iter‘*, veteres libri typis expressi *‚medium iter‘* exhibent, sed Leidensis verum tuetur, cui id, quod Diodorus XIX. 19. tradit, convenire videtur. Eandem praepositionem usurpat Curtius VI. 4. 2.: *‚per Parthienen‘*. *‚Circa‘* (non *‚circum‘*, quod cum indicet regionem proximam, quae rem aliquam circumcludit, de nominibus terrarum rarius dicitur) significat locum vicinum, itaque in nominibus terrarum adhibetur, ubi aliquem in vicinia terrae commorari exprimitur, ita ut notioni particularum aut *‚ad‘* aut *‚apud‘* aut etiam *‚in‘* accedat. Huius usus duo exempla exstant, quorum alterum est IV. 9. 1.: *‚circa Mesopotamiam‘*, alterum IX. 7. 11.: *‚haec circa Bactra et Scytharum terminos gesta‘*, ubi nomen urbis pro nomine terrae positum est, ut aliis locis, de quibus videas pag. 28. Praepositio *‚inter‘* consueto more usurpatur, velut IV. 5. 14.: *‚insulas inter Achaiam atque Asiam‘*. Compluribus locis praepositio *‚cum‘* nomini terrae addita idem, quod particula *‚et‘* exprimit; sic copulatum est nomen ‚Syria‘ cum ‚Phoenice‘ in X. 10. 2., eodemque loco legitur: *‚Lyciam cum Pamphylia et maiore Phrygia obtinere‘*; et paullo infra *‚Cappadocia Eumeni cum Paphlagonia cessit‘*.

Ex omnibus, quae de nominibus urbium insularumque et terrarum disputavimus, satis intellegitur Curtium sermonem suum ad similitudinem optimorum aureae aetatis scriptorum formasse, interdum studio cuidam rhetorico indulsisse; nam in nominibus urbium, si nonnulla levioris momenti hic missa facimus, eundem usum atque optimos scriptores eum observasse videmus; neque multum in nominibus terrarum a consueto more recedit et fere ita tantum, ut interdum, ubi exitus ex terra indicetur, particulam *‚ex‘* omittat. De aliis rebus ei peculiaribus pagg. 9., 12. sq., 15. sq., 18. sq., 31. sq. disseruimus.

CORRIGENDA:

pag. 9. vs. 18. scribe 36. pro 00.
— 9. — 23. — 26. — 00.
pag. 12. vs. 21. scribe 21. pro 00.
— 12. — 32. — 30. — 00.
pag. 14. vs. 6. scribe 31. pro 00.

Typis expressit G. Stalling Oldenburgensis.